

DEVINCTI ANIMI TESTIMONIUM.
QVOD
DIE ONOMASTICO
MAGNIFICI, DOCTISSIMI, EXPERI-
ENTISSIMI QVE
DOMINI
DN. SIMONIS

M e i B /

Civitatis Thorunensis Consulis, Philos: &
Medicinæ Doctoris, nec non Scholar-
chæ Gymnasi, & reliqua,
EXCELLENTER MERITI,
SUBMISSO CULTU EDERE VOLUIT
GEORG. PETRUS Schulß D. & P. P.O.
D. XXVIII. Octobr. Anno MDCCXXXI.



THORUNII
Impressit Ioh. Nicolai Nobiliss. Senat, & Gymn. Typogr.

Q Visque
miretur, non rimetur
Fata, Dei effata,
ad quæ
humana natura via plerumque devia
ducit & seducit
mortales,
opinantes se esse immortales.
Mori enim
& mori & sapientis est,
vel potius neutrius:
quippe
bene mori morus omnino non,
sapientis non sine gratia Dei potest.
Præterea si consideramus
quantas conversiones aut fragilitas mortalitatis,
aut fortunæ mobilitas faciat,
ubi
si computes annos,
nihil tam breve, quam vita hominis longissima;
si vices rerum,
ævum putet:
in quo
tot varietates tam volubili orbe circumaguntur;
tunc
qvemvis hæc recordantem miseratio sortis nostræ subit:
Cum porro adtendimus animum,
quod
præclara Deus promittens bonis
sæpe fallere videatur fidem fidam,
&
ii verbis felices, re infelices ut sint voluisse;
Minæ autem,
quibus insequitur mimos & malos,
fiant rimæ,
quas reperiunt hi rimatores & miratores proborum
feliciterque evadunt:
fieri facile potest,
ut decipiamus nosmet ipsos & alios,
nec capiamus arcanam rationem sapientiæ divinæ,
quæ verax, minime fallax,
neminem decipit, sed præstat, qvicquid in se recipit.
Quid multa!
Magnificus, Doctissimus Experientissimusque
DOMINVS
DOM. SIMON Geiß/
Reipubl. Thorun. Consul, & Med Doctcr, nec non Physicus,
ut & Scholarcha Gymnasii nostri,
optime merens,

jam

Viduus dolenter mœrens,
experientia sua proh dolor! comprobat,
vere cecinisse Senecam:

Regitur fatis mortale genus
Nec sibi quisquam spondere potest
Firmum & stabile.

Dum enim
hic musarum fugitivarum Jupiter Stator
&

Apollo medicus & tutelaris,
fortuna est prospera dignus, & adversa indignus,
ob

ingentia merita,
qvibus patriam sibi devinxit & statum publicum;

beneficia quamplurima,
quæ in Gymnasium contulit nostrum;

Eruditionem excellentem,
magnam illi gloriam parientem;

Experientiam artis medendi
ægrotis salutiferam;

Humanitatem plane divinam,
cæterasque nunquam satis laudandas animi dotes;

Accidit

ut

fatis actus sit atque tactus diris,

Illique

Vxor dulcissima virtutibusque exornatissima
præmatura morte erepta sit.

Nihilominus

non est fas aut flere, aut omnino mortem vocare,
qua

mortalitas magis finita, quam vita est.

Vivit enim vivetque semper Beata
virtutumq; Ejus nullam posteritatem capiet oblivious;
& Deus

Mæcenatis nostri indulgentissimi
studium bene merendi de patria & musis
nullā prætermittet occasionem remunerandi & compensandi,
addetque Eisdem annos, quos beatæ ademit.

Nam

præsens dies onomasticus docet optimo omne,
quod

jubente Supremo Numine,
tristitia fiat lætitia

&

infelicitas, felicitas,
dum

Nobilissimum Dom. Scholarcham
conspicimus
prospera valetudine gaudentem,
bonis omnibus florentem,

suaque

Suaque fata sapienter ferentem:
& audimus
Providentiam divinam
nobis benige spondentem,
fore,
ut
qvamplurimos per annos usque in adultam senectutem
gratia & humanitate
tristes Camænas complectatur, foveat eisdemque faveat,
nec non
patriæ adflictæ consiliis adsit providentibus,
ægrotorum saluti subveniat remediis efficacibus,
ex educatione filiolæ, matris æmulæ, capiat fructu dulcissimos,
Propinquis & Necessariis sit oblectamento & ornamento,
Clientibus deditissimis præsidio firmissimo,
interque eos mihi,
virtutum & meritorum Ejusdem admiratori,
&
Domus WEISSIANÆ veneratori primis ab annis
inunquam denegat benevolentiam hactenus consuetam.
Qvæ Omina omnia & vota devota
ut
Felicia & rata esse jubeat velitque
Deus T. O. M.
venerabundus & lætabundus
precor.



113401